



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 17. Conversio Cornelii Centurionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

tium Caligulae annum; Jesu Christi trigessimum nonum. Pilatus exordio Regni Caligulae damnatus ad exilium Viennam Rhodani, ibidem eodem anno Christi 39 desperatione adactus sibi met violentas manus intulit.

Sæculum I.

A. C. 37.

Euf. II.

hist. c. 7.

§. XVII.

Conversio Cornelii Centurionis.

Interea S. Petrus adhuc erat in Joppe apud Simonem coriarium. Quadam die ad excelsiora domus ascendit, ut oraret ad sextam, id est, meridiem, dum parabatur cibus. Tunc extra se raptus, vidit visionem, in qua sine discrimine de omni carne manducare jubebatur, & sine exceptione animalium immundorum, quæ lex vetabat. Cogitanti, quid hæc visio significaret; Spiritus Dei dixit illi: *ecce tres viri quærunte te, ne dubites ad eos ire.* Simul tres viri adveniunt, missi a Romano nomine Cornelio, unius cohortis, quæ Cæsareæ erat, Centurione. Vir erat timens Deum, multas dans eleemosinas, & assidue orans; eique Angelus apparuerat, præcipiens, ut Simonem Petrum ex Joppe ad se vocaret.

Act. 10. 9.

Igitur S. Petrus iter ingressus cum sex fratribus, a Cornelio missos sequebatur; qui eum cum cognatis, & amicis

Sæculum I.
A. C. 37.

congregatis expectabat. Ad quos Petrus: *Scitis, quantum Judæi abhorreant ingredi Gentilium domos; mihi autem significavit Deus, neminem habendum esse immundum. Quæro igitur, cur me vocaveris.* Tunc Cornelius ei visionem suam narrat, & S. Petrus omnes Mysterium Jesu Christi docere incepit, testimonium reddens resurrectionis. Adhuc loquebatur, cum S. Spiritus super omnes audientes descendit; & loquebantur varias linguas, glorificantes Deum. Fideles circumcisi, qui cum Petro venerant, vehementer mirabantur, gratiam Spiritus S. etiam super Gentiles effusam; & Petrus: *Quis aquam prohibebit bis, qui Spiritum S. receperunt, sicut nos!* iussitque eos baptizari. Hoc fuit initium conversionis Gentilium. Ajunt, Cornelium postea fuisse Cæsareæ Episcopum, quæ ea tempestate inter Judææ civitates erat maxima; & plerique habitatores Græci.

Act. 11.

Epiph. hæ.
2. 8.

S. Petro Jerosolymam reverso, Fideles circumcisi contestari cœpere, quærentes; quare in domos incircumcisorum esset ingressus, & manducasset cum eis. Ajunt Cerinthum Hæresiarcham hujus disputationis auctorem extitisse. S. Petrus, quæ facta erant, exposuit; & cum ipse loqueretur, Spiritum S. super Cornelium, & societatem ejus descendisse.

Tunc,

Tunc, inquit, *recordatus sum verbi Domini: Joannes baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu S. si ergo Deus eandem illis gratiam contulit, sicut vobis; quis ego eram, ut impedirem?* his auditis Fideles filebant, & laudabant Deum; cum stupore dicentes; *ergo Deus etiam Gentilibus concessit pœnitentiam, in vitam æternam!* Qui in nece S. Stephani dispersi fuerant, usque Antiochiam pervenere. Erant inter eos Cyprii, & Cyrenæi, qui cum Hellenistis conversati, annuntiarunt eis Jesum. Magnus eorum numerus ad fidem conversus.

Sæculum I.

A. C. 37.

Act. II. 16.

Act. I. 5.

Act. II. 18.

§. XVIII.

Caligula a Judæis vult adorari.

Jamniæ urbe maritima Palæstinæ prope Joppen advenæ, Judæis mixti, habitabant; his cum infana Caligulæ cupiditas, ut ab hominibus adoraretur, esset nota, in ejus honorem terra congesta altare erexerunt, non adeo, ut placerent Cæsari, quam ut Judæis invidiam crearent. Hoc altare illico a Judæis, eo quod terra sancta prophanaretur, eversum. Adversarii ideo apud Capitonem, tributorum exactioni Præfectum, conqueruntur; is rem ad Imperatorem cum exaggeratione desert; tum ut sui ipsius accusationes præveniret, concussionum reus, tum ut

Phil. de leg. p. 1021.

C 5

novam